



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

Amplissimo Viro Reverendo In Christo Patri Ac Domino, Domino Lamberto  
Hankart, Coen Obij Gemblacensis Abbati Dignissimo, Domino ac Mæcenati  
suo vnice colendo. S.P.D.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

# AMPLISSIMO

VIRO AC REVERENDO

IN CHRISTO PATRI AC

DOMINO, DOMINO LAM-

BERTO HANKART, COENO-

bij Gemblacensis Abbati Digi-

nissimo, Domino ac Ma-

cenati suo vnico

colendo.

S. P. D.



*Vam necessaria sit omnibus Chri-*  
*stianis, in primis autem hominibus*  
*Religiosis Historia sacra cognitio,*  
*nō est Abbas dignissime cur scien-*  
*ti tibi multis declarem, cum tu, vt*  
*integritate vitæ, ita & rerum ec-*  
*clesiasticarū cognitione maioribus*

*tatis laudatissimis pulcherrimè respondeas: Itaque cum*  
*celeberrimus Typographus Arnoldus Birckmannus d*  
*me perisset, vt vltimos hosce tres libros Hermie Saxome*  
*ni, quos Historia ecclesiasticæ recens interpretes Iohannes*  
*Christopherson reliquis omnibus iam translatis morte*  
*præuentus absoluerenon potuit, ex Græco in Latinum*  
*conuerterem, dandum hoc Birckmanni erga me bene*  
*uolentiæ, dandum manibus Christophersoni, dandū de-*  
*nique Reipub. ecclesiasticæ putauit: Accepi igitur hanc*  
*prouinciam, & eo quidem libentius, quod in spectro ex-*  
*emplari Græco per Christophersonum emendato, intel-*  
*ligerem, illum nō emulandi studio, sed sincero veritatis*  
*amore ductum post superiores eius interpretes hoc opus*  
*de integro transferendum suscepisse: Nam cū tribus præ-*  
*stan-*

Santissimis manu descriptis exemplaribus, Vaticano, di-  
 co, Veneto ac Florentino potitus esset, facta eorum ad ex-  
 emplar vulgatum diligenti collatione, passim depravata cor-  
 rexit, luxata restituit, defecta supplevit. quibus remedijs  
 destitutas aliorum translationes multis in locis truncas  
 ac laceras, in multis absurdas ac falsas esse, nemo nega-  
 re potest: Sed de Christopheroni laudibus plura dicent,  
 qui in opus uniuersum praefaturi sunt. Ego illius in-  
 stitia magnopere adiutus, in hisce tribus libris conuertens  
 dis praestiti quod potui, ac spero meam operam studiosis  
 non ingrata fore: Caterum cum ignorem quo confi-  
 lio tunc declaranda suae translationis praestantia usu-  
 rus fuerit, mihi placuit exemplaris Graeci diuersitates,  
 ut ab illo accepi, ad calcem versionis meae subiicere: par-  
 tim, ut lectori fidei meae constet ratio, partim, ut ex  
 his paucis colligat studiosus, quantum lucis ad verita-  
 tem toto opere Christopheronus attulerit: Hoc igitur quae  
 quid est opella mea Reuerende Pater, gratitudinis er-  
 go tibi dedicare placuit. non solum, quod his te non dif-  
 ficile praebueris, qui me ignotum tibi commendarunt,  
 verum etiam quod instructissime Bibliotheca tua copiam  
 mihi tam benignè feceris: sed te quidem studiosis libenter bene  
 facere minus mirum est. Cui ut natura ad humanitatem  
 propensa, ita etiam professionis institutum diligentius contigit.  
 Fuit enim hoc vestro ordini ab ipso inde Benedicto quasi  
 patrium, ut in propaganda literarum studia velut in pos-  
 sessionem suam assidue praeceteris incumberet. Quid  
 quidem, si non aliunde, vel ex conuentus vestri historis a-  
 bunde patet, in quo vno doctissimi viri paene infiniti  
 claruerunt, & supersunt etiam hodie non pauci, inter  
 quos estis, qui te proximo dignitatis gradu consequitur  
 cenobij

cenobij

cenobij tui prior dignissimus frater Iohannes a Passa-  
ra, cuius eruditissimi commentarij in Psalmos dauidi-  
cos magno pietatis fructu omnium manibus reuerunt. Tu  
igitur quod ad te attinet, ut monasticam disciplinam more  
maiorum ratam conseruas, ita etiam prospicis, ut non solum fra-  
tres tui sint quam eruditissimi, sed etiam, ut veterum scri-  
ptorum codices antiqui, quorum magna apud te est co-  
pia, ad promouendam Reip. literariam eruditam euoluendi  
concedantur, eaque de causa eruditissimum pientissimumque  
virum Fr. Ludouicum Sonbecum Bibliotheca tua prese-  
ctum constituisti, qui pro singulari prudentia atque dilige-  
ntia sua tum codices ipsos in ordinem redigere, tum quid cuiusque  
vel negandum vel concedendum sit, pro cuiusque dignitate iudicari  
cave potest. Cum itaque ex usu Bibliothecae tuae tantum eno-  
lumini ad studia mea redundarit, quantum sancte Deo  
humanioris literaturae incrementum breui publice decla-  
rabit, hoc mea erga te gratitudinis qualecunque testimo-  
nium extare volui. Non quidem, ut eo me liberatum, sed ut  
ad maiora deinceps praestanda tibi obstrictum esse decla-  
rarem. Cuius promissi mei sponsor, uti confido, esse non graua-  
bitur idem, qui me tibi commendare dignatus est amplissi-  
mus vir ac Reuerendus in Christo pater D. Philippus  
Hofdenius, S. Gertrudis Abbas Louanij, & eiusdem uni-  
uersitatis Conseruator dignissimus, mi suo merito sem-  
per obseruandus. Ea conditione si boni consulueris id quod  
offerro, erit cur magnopere gaudeam. Deus Opt. Max. Am-  
plitudinem tuam semper in maius ac melius augere digne-  
tur: Louanij pridie Calendas Iunij Anno. 1567.

Tuae Amplitudi. famulus deditiss.  
Suffridus Petrus Leouardienfis  
Frisius.

HER-